



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

Cap. I. De Juribus Episcopalibus in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

LIBER III.
DE
EPISCOPIIS.

CAPUT I.

De Juribus Episcopalibus in genere.

I.

Ura Episcopalia, qualia hodiè referri solent communiter à Canonistis, Ecclesiæ primitivæ planè incognita fuerunt. Etenim si statum illius temporis consideres, officium Episcoporum non aliud invenies, quàm quod in doctrinâ verbi, administratione Sacramentorum, curâ viduarum, pupillorum & pauperum, & exemplari denique charitatis Christianæ exercitio consistebat. Non alia tùm fuit intentio omnium Ecclesiæ pastorum, nec alia ejus, qui eos instituerat. Primi Ecclesiæ Doctores, Apostoli, non aliam sibi potestatem arrogabant, quàm quæ officio suo, quod cœleste erat, & ad cœlestem gratiam atque salutem dirigebatur, conveniebat. Hinc adeò non armis & flagris utebantur, neque potestate *ἀναγκαστικῆ* aliquâ aliâ, quæ magistratûs speciem sustinere posset; sed procedendi modus ab eis observabatur per verbum DEI generaliter propositum & ad circumstantias singulares, prout incidebant, applicatum, per sigillorum divinæ gratiæ exhibitionem aut negationem, & per vindictam aliquam non naturalem aut ex naturali vi procedentem, sed naturâ ipsâ superiorem, & à DEO primùm monstratam, & suum à DEO effectum habentem. Ipse Christus autor totius Ecclesiæ, & universæ in eâ potestatis, omniumq; adeò jurium Episcopalium, Regem quidem se esse profiteatur, simul tamen contestatur, Regnum suum non esse de hoc mundo, hoc est, ejus indolis, & ingenii, aut conditionis, cujus sunt cætera regna. *Job. XVIII, 36.* Nec, dum Ecclesiam plantavit & instituit in his terris, ipse tali aliquâ potestate usus est, quæ humanum aliquod magisterium præsupponere posset, sed pleraque omnia divinâ virtute perfecit; quam ipsam

R r r

etiam

etiam non obscurè prodidit in eo, quod angelorum operà se uti posse, sine jactantiâ dixit, *Matth. XXVI, 53.*

II. Potestatem Episcopalem primitus concessam pluribus in locis optimè exponit Chrysostomus, cujus *lib. 2. de Sacerdotio* hæc sunt verba: *Omniū maximè Christianis non licet vi castigare fontium delicta. Seculi quidem judices, ubi maleficos sub legum potestatem nacti sunt, multum potestatis jus exercent, & invitos quamvis prohibent ex suo pte ingenio vivere. At apud nos non cogendo, sed suadendo id agendum est, ut qui ejusmodi sit, melior evadat. Neque enim nobis à legibus ad coercendos peccatores potestatis jus datum est, & si datum maximè esset, locus non esset juris ejus exercendi, cum DEUS coronet non eos, qui necessitate, sed qui voluntate liberà à malo abstinent, quare multo labore opus est, ut persuadeantur morbidi sponte suâ se præbere sacerdotali curationi. Idem in *epist. ad Ephes. 4.* Ad docendos verò homines constituti sumus, non ad imperium, non ad exercitium potestatis. Consiliariorum locum obtinemus suadentium, qui consilium dat, de suo dicit, auditorem non cogit, sed liberam ei relinquit electionem circa ea, quæ dicuntur. Et in *acta Apost. rom. 3.* Legibus ac mandatis omnia peraguntur, (scil. apud Principes) hîc verò nihil tale: neque enim licet ex auctoritate præcipere.*

III. Apud Gratianum c. *quoniam dist. 10.* elegans refertur utriusque potestatis Ecclesiasticæ & secularis distinctio, quam suggestit Nicolaus I. Papa Michaeli Imperatori his verbis: *Quoniam idem Mediator DEI & hominum, homo Christus JESUS, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit propria: volens medicinali humilitate hominum corda sursum efferri, non humana superbia rursus in inferiora demergi, ut etiam Christiani Imperatores pro aeternâ vitâ pontificibus indigerent, & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur: quatenus spiritualibus actio à carnalibus distaret incurfibus, & DEO militans minimè secularibus negociis sese implicaret, ac vicissim ne ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset secularibus negociis implicatus.* Hanc Nicolai distinctionem infulsâ planè & prodigiosâ interpretatione pessimè depravat Thomas Bozius *de jur. natur. & div. Ecclesiasticæ libert. & potest. l. 1. c. 12.* sed eam justis vindictis defendit Guilielmus Barclajus *de potest. pap. cap. 2.* Apparet autem ex eâ, utramque potestatem suis propriis actibus, dignitatibus & officiis, ita sejunctas & separatas ab invicem esse, ut neque potestas temporalis jura spiritualis potestatis, neque hæc illius usurpare sine injuriâ possit.

IV. Ad uberiorem explicationem multum facient verba Bernhardi *de consid. lib. 2. ad Eugenium.* Non tibi, inquit, Petrus dare, quod non habuit, potuit: quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem super Ecclesiâs: nunquid dominationem? Audi ipsum: non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum

dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Et infert: Vos autem non sic: Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. Ergo tu, & tibi usurpare aude aut dominans Apostolatam, aut Apostolicus dominatum. Planè ab alterutro probiberis. Si utrumq; similiter habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur DEUS sic: Ipsi regnaverunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognovi eos. Et mox: Forma Apostolica hæc est: dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Nihil expressius, nihil disertius dici potuisset, nihil ad Christi mentem accommodatius, qui ministerium suum & Apostolatam vult intelligi à Principatu & potestate temporalis esse separatum.

V. His tamen omnibus non obstantibus experientia testatur, quantum sibi hodiè potestatem tribuant Episcopi, majorem certè aut longè aliam, quam Christus & Apostoli eos habere voluerunt in hoc seculo. Ipsi enim in formâ servorum judicati sunt per seculi principes; eorum verò successores Episcopi principibus non solum subesse recusant contra Christi & Apostolorum exemplum atque præceptum, verum etiam principibus & potestatibus superiores se faciunt, illisque leges dare, & refractarios in ordinem cogere se posse profitentur. Unde fit, ut regno mundano potius, quam regno Christi studeant, & ea sectentur magis, quæ ad externum statum sui, quem ipsi sibi fingunt, splendorem faciunt, quam quæ Ecclesiæ Christi salutaria sunt. Non simplicitas amplius, & modestia, & mansuetudo, & submissio, & frugalitas, & Scripturæ S. studium eis in usu sunt, sed superbia, sed ambitio, sed imperandi cupiditas, sed varia omnis generis luxus instrumenta, & quicquid denique inter vitia referri solet. Id autem præ cæteris cavent maxime, ne secularibus potestatibus speciem aliquam subjectionis præstent; sed ut ipsi potius in territorio, in quo degunt, supremi existant, suam seorsim ab omni jurisdictione seculari liberam habeant aulam, suos ministros & satellites exemptos, sua regalia, suam propriam, non dicam, jurisdictionem, sed majestatem, Principis suprematui parem, imò, ut ante dixi, superiorem. Et ne quid omnino desit, suos etiam habent milites, sua armamentaria, & quicquid denique gerendo regimini necessarium vel utile visum fuerit. Nec poterit verò inde colligi aliud, nisi quod contra sententiam Christi regnum sibi adferant & imperium seculare atq; mundanum.

VI. Dicuntur quidem etiam ministri Ecclesiæ quodammodo regere Ecclesiam; sed directivè, docendo, arguendo, exhortando, modisq; similibus. Potissimum enim & præcipuum regimen, quo Ecclesia gubernatur & conservatur, spirituale & internum est & capiti Christo convenit. Ex-

ternum si quod adhibetur, secundum potestatem Ecclesiæ concessam intelligendum est. Nec est, quod ex verbo *ποιμαίνεν*, à Salvatore Christo ad Petrum usurpato, *Joban. XXI, 16.* nescio, quod imperium sibi fingant Ecclesiæ Latinæ Doctores. Nec enim aliud ex voce istâ colligere licet, nisi quod officium boni pastoris sit, ut divinis oraculis gregem suum assidue pascat, & in Scripturarum lectione vel auditione suos assidue exerceat. Optimè Theophylactus in *b. l. Non fecit Dominum, non Principem, non Regem Petrum, sed Pastorem esse jubet.* Et Bernhard. *serm. 2. de resurrect. Dom. Pisce, mente, opere, ore, animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.* Et de *confid. ad Eugen. lib. 4. c. 3.* Evangelizare pascere est, *fac opus Evangelistæ, & pastoris opus implesti.* Ad eundem modum applicat hæc Christi verba Petrus Blesensis in *epist. 148. ad S. Bathoniensem Episcopum:* Vobis in eo quandoq; dictum est, *si diligis me, pascere oves meas.* Quid est oves pascere, nisi evangelizare subjectis? reddere DEO populum acceptabilem, verbo, opere & exemplo dirigere vias Domini, & parare Domino plebem perfectam? Add. *lf. Casaubon. exercitat. 16. c. 133.*

VII. Quod si jam inter Episcopos, quales fuerunt olim, & quales nunc sunt, comparisonem instituere, & utrorumque jura Episcopalia perferri velis, insignem ubique inveniēs differentiam. Nec profecto tanta metamorphosis credi olim potuit, quanta nunc in ordine illo Ecclesiastico se exferuit. Et qui mutationem illam contigisse observarunt, per eam statum Ecclesiæ valdè corruptum fuisse ingenuè profitentur. Adscribam aliqua Nicolai de Clemangiis verba, qui in *lib. de corrupto Ecclesiæ statu c. 2. & 3.* in hunc modum loquitur: *Nulla olim argentea vasa, nec aurea, stanneis & fidelibus bibebatur. Nullus magnorum equorum phalerarumq; apparatus, nulla histrionum turba præambula, nullus calamiſtratorum aut comatorum juvenum comitatus, virgatis monſtriferis habitibus, patulis & terratenus defluentibus manicis, quasi ritu barbarico indutorum. -- -- Ubi verò, ut ferè assolet, paululum ex divitiis, rerumq; secundarum affluentia luxus & insolentia in Ecclesiam subiere, tepescere sensim cœpit religio, virtus hebescere, solvi disciplina, charitas minui, tolli humilitas, paupertas opprobrio esse, simulq; parsimonia. Sed ut pompis & luxui res subesset, avaritia crebrescere, quæ non suis diu contenta finibus, aliena non modo ambire, sed rapere & invadere moliretur, inferiores opprimere, & tam jure quam injuriâ spoliare. -- -- Nulla prorsus hodierna die in assumendis pastoralibus sarcinis in curâq; animarum subeundâ de servitio divino, de salute subditorum aut ædificatione mentio habetur, de proventuum ubertate tantummodo & quantitate queritur. -- -- Quis humerorum suorum vires librat? an sufferendo oneri, cui se supponere querit, sufficiat? Quis sua aut subditorum pericula considerat? Quis eis prædicat aut evangelizat? Quis viam, per quam ad salutem perveniant, factò aut verbo demonstrat? imò verò quis hodie Prælatorum non quæcumq; viâ*

viâ potest, suos undiq; subditos spoliât? Quis eorum miseretur inopiæ? paupertati condolet? subvenit indigentia? imò quis indigentiam ipsorum non jure & injuria amplificat? Et hæc tamen Ecclesiastico minus convenientia substituuntur, merito dubitaveris, utrum Episcopi amplius dici debeant, qui in Sedes Episcopales evehuntur.

VIII. Nec verò mirum id videri debet cuiquam, qui secum perperderit ingenia hominum, & rerum insolenter gerendarum perpetuas occasiones: Qui Ivonis Carnotensis operibus ad Bernardum à Fresneda epistolam dedicatorem præmisit Joannes Molinæus Decretorum Lovanii Professor, nullam in hæc re emendationem sperari debere contendit, & confidenter asserit, optimum quemque, ad ejusmodi thronum evectum, alios mox mores induiturum & in præceptis ruiturum esse. *Fingamus, inquit, Episcopatus Candidatum ad unguem factum, sit honestis, piis, sanctisq; moribus, sit insigni rerum divinarum humanarumq; præditus eruditione, sit maturâ etate, sit civibus aliisq; omnibus Reip. ordinibus cumprimis gratus & acceptus, sit deniq; omnibus numeris absolutus, & ad Paulinam ideam planè fabricatus, (cujusmodi in hæc bonorum Virorum orbitate, morumq; dissolutione aut nulli sunt: aut si qui sint, vix perquiruntur) is igitur, ubi jam omnia in suâ voluntate, ne dicam libidine, posita esse perspexerit, ubi nemini unquam rationem quicquid gesserit, vel non gesserit, reddendam esse scierit, ubi deniq; solam se ἀντιφύρον ἐξουσίαν eamq; perpetuam, consecutum esse animadverterit, qui poterit queso in hæc humane nature fragilitate, in tantâ vitæ voluptatumq; omnium licentiâ & impunitate, assentatorum ad hæc grege perpetuo stipatus, qui poterit, inquam, insolescere, moderationisq; prioris non protinus oblivisci? Hæc sanè aliaq; complura sunt, quæ de Ecclesiâ formandâ nos sperare nequaquam sinunt, quin magis ruinam & exitium impendere (utinam sim falsus vates) portendant &c.*

IX. Quanquam igitur sint fortè, qui ad purioris Ecclesiæ normam vitam & mores suos componere paratissimi sint, vix tamen eis licet esse tam felicibus, tum quod antecessorum suorum exempla ab ἄριστοι καὶ μέγιστοι subinde objiciantur, tum quod perpetuo ingerantur solutioris vitæ instrumenta & irritamenta, tum denique quod vicinorum Episcoporum non aliud sit vitæ genus, cum quibus tamen conversari perpetuo oportet. Dolet sanè nimiam profusionem bonorum sibi incumbentem Fulbertus Carnotensis epist. 90. Satis, inquit, oneri esse videbatur adversa corporis valetudo: sed tamen illud ægrius tolerabam, quod res Ecclesiæ in superfluorum domesticorum virtualia sic expendere compellebar ex pravâ consuetudine prædecessorum meorum, ut officium hospitalitatis, & eleemosynæ sicut mea interest, administrare non possem. Agnoscit Fulbertus, pravam eam esse consuetudinem, & tamen dicit atq; dolet, à se eam omitti & emendari non posse. Neq; id Fulberti tantum, qui seculo un-

decimo ineunte floruit, sed longè anterioribus temporibus, ipsius nempe Gregorii Nazianzeni ævo, luxus iste inter Episcopos obtinuit, quanquam fortè non ita exuberans & enormis. In oratione enim, quâ dimissionem petit ille Urbis Constantinopolitanæ tum Archiepiscopus, exprobratum sibi conqueritur, quod *nec mensâ lautâ & opiparâ, nec veste magnificâ sit usus, nec splendide in publicum prodierit, nec ad eos, à quibus conveniebatur, gravitatem & fastum adhibuerit.* Quò & pertinet, quod ejus *ὄψωνος* Ammianus Marcellinus, homo quidem Gentilis, de Episcopis Christianis refert lib. 27. *procedere eos vehiculis confidentes, circumspectè vestitos, epulas curantes profusas, adè ut eorum convivium regales superent mensas &c.*

X. Ex his principiis non abs re statuit Ivo Carnotensis *epist. 238.* dignitatem episcopalem paupertatem his diebus honestè ferre non valere. Nec tamen mores hominum ex statu Ecclesiæ mutato, sed potius Ecclesiæ mutationem ex moribus hominum mutatis contigisse puto, secus atq; statuit Petrus Abbas Cellensis *lib. 1. epist. 10.* qui patientiæ Christianæ rationem ex primitivæ Ecclesiæ conditione accersit, nec ad eam ita adstringi amplius homines contendit: *Pensanda etiam sunt tempora, inquit, & diversi status temporum, secundum quos mutantur merita causarum. Nam in primitivâ Ecclesiâ sola patientia locum habuit, ut auferenti tunicam dimitteret & pallium. Alius enim erat & alibi, id est, extra Ecclesiam, qui persequabatur, alius & alibi, id est, intra Ecclesiam, qui patiebatur. Modò verò jam adulta Ecclesia non licet filii Ecclesiæ, quod aliquando licuit inimicis. Decet enim matrem corrigere filium, sicut decuit pupillam tolerare adversarium.* Imò verò manet adhuc regula ista Christianis tradita, patienter ferendas esse injurias, etsi magistratui Christiano concessa sit potestas easdem puniendi.

XI. Quod si igitur universa ista & singula, quæ hodiè ab Episcopis usurpantur, enucleatè & specificè pertractare velimus, non ea tantum, quæ jure divino eis competunt, sed longè plura, etiam ea, quæ ex liberalitate Principum acceperunt, aut ex conniventia eorum sibi arrogarunt, in censum venient. Hinc adeò ipsa universa majestatis jura, quippe quibus Episcopi hodiè non aliter, atque Principes seculares superbiunt, recenseari à nobis deberent. Verùm quia id operosum nimis esset, partim etiam alienum à scopo nostro, & ipsi Canonistæ ista inter jura Episcopalia non referunt, intra fines nos continebimus, & quæ in jure Canonico proponi solent, nec tamen ea omnia, sed præcipua tantum considerationi nostræ subiciemus, & ita quidem, ut nonnulla in hunc numerum referre liceat, quæ Episcopis cum presbyteris communia sunt, quæque adè ad officium presbyteri non minus, quam ad officium Episcopi pertinent. Talia namq; sunt aliqua, quæ ex potestate ordinis, uti loquuntur Canonistæ, proveniunt.

XII. Obi-

XII. Obiter addo, uti omnium ubique rerum principia parva sunt, suis verò progresibus & usu augmentur, ita & juribus Episcopatibus contigisse. Non omnium nempe fuit idem & simultaneus ortus atq; progressus; sed pleraque ea, quæ splendorem aliquem addiderunt, tenuia admodum habuerunt initia, nec animadversa fuerunt prius, quàm robur aliquod acceperunt, quod ipsis deinde Principibus formidabile extitit, nec in pristinum statum reduci potuit. Et quis enim putasset, Apostolos, homines pauperes, & ab omni splendore externo remotos, habituros tales successores, qui familiari suo apparatu cum Regibus decertare possent? Ita scilicet ex summis vitæ & fortunæ sordibus ad summas divitias pervenisse videntur Apostoli, & in successoribus suis possidere, quod ipsi repudiarunt semper & procul a se esse jusserunt. Sed & plurima alia, quæ inter jura Episcopalia communiter referri solent, non ex Apostolico, sed ex Ecclesiastico instituto primum orta sunt, uti, ubi ad speciem ventum fuerit, plenius exposaturi sumus. Sola addam hic verba Concilii Hispalensis II. c. 7. *Quamvis cum Episcopis plurima illis (presbyteris) ministeriorum communis sit dispensatio, quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint; sicut presbyterorum & diaconorum ac Virginum consecratio, sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio: siquidem nec licere eis Ecclesiam vel altarium consecrare, nec per impositionem manûs fidelibus baptizatis vel conversis ex heresi paraclitum Spiritum tradere, nec chrismata conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare; sed nec publicè quidem in Missâ quenquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita esse presbyteris, quia pontificatus apicem non habent, quem solis deberi Episcopis auctoritate canonum precipitur, ut per hoc & discretio graduum & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstraretur &c.* Ad novellas Ecclesiasticas & ad auctoritatem canonum refert ista Episcoporum axiomata, quorum maximam partem ex jure divino provenire mordicus defendit Ecclesia Latina.

CAP. II.

De Divisione jurium Episcopalium.

I.

Vulgaris & maximè usitata apud Canonistas occurrit distinctio jurium Episcopalium, quæ dicuntur quædam pertinere ad Episcopum jure ordinis, ut est Clericorum ordinatio, virginum benedictio, altarium & Ecclesiæ consecratio, &c. quædam lege jurisdictionis, ut corrigendi, conferendi, excommunicandi & influendi potestas: quædam lege diocesanâ, ut jus census & cathedralicum exigendi, decimam percipiendi, jus

holpi-